

Conf. Ex Ratione. Angeli mali, aliquamdiu boni, reipsa mutarunt suam voluntatem; ergo angeli non sunt ex *conditione naturæ suæ* immutabiles.

Si ais 1º. Certum est angelos bonos esse confirmatos in bono, et malos obstinatos in malo; ergo sunt absolute immutabiles.

R. N. C. Hæc enim immutabilitas non est physica, ex ipsa naturæ conditione orta: sed habetur a *ratione status* vel beatitudinis, vel damnationis; et in bonis quidem illa oritur ex efficacia luminis gloriæ, et invincibili attractione objecti beatifici: in malis autem ex consummata malitia vi tormentorum, et desperatione concepta ob æternam suam damnationem, atque ex defectu et subtractione gratiæ divini: utrumque docent SS. Patres.

Si ais 2º. S. THOMAS et *Thomistæ* omnes hic adversantur: nam docent primo quod arbitrium hominis flexile sit ad oppositum ante et post electionem, angeli autem ad utrumque oppositum ante, non post electionem. Secundo quod angelus per intellectum apprehendat immobiliter, homo per rationem mobiliter: ac proin voluntas etiam hominis adhæreat mobiliter, angeli vero fixe et immobiliter, cum vis appetitiva in omnibus proportionetur apprehensivæ, a qua movetur.

R. Ad 1^{um}. D. A. Angeli arbitrium post electionem non est flexile comparative ad homines C. Absolute N. Nempe, ut GREG. NAZ. Orat. 38. n. 9. ait: *Ut angelos non omnino immobiles, sed ægre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet Lucifer etc.*

R. Ad 2^{um}. D. A. Vis appetitiva, id est, instinctus naturalis proportionatur apprehensivæ C. Vis appetitiva, hoc est, liberum arbitrium *subd.* Proportionatur universaliter in sensu absoluto N. In sensu accommodo, et secundum proprium tendendi modum C. Voluntas ceu potentia libera ex natura sua tendit in objectum cum indifferentia actus ad oppositum, in quo differt ab intellectu ceu potentia ad unum determinata. Ad hæc angelus apprehendit quidem immobiliter res evidentes, et eas, quæ essentiam ac proprietates rerum naturalium spectant, non item res contingentes et eligibiles: Sic dæmon primo judicavit passionem Christi procurandam, impellendo Judam ad proditionem, dein vero impediendam, cum laboravit Pilatum per uxorem a condemnatione deterrere.

ARTICULUS II.

DE POTENTIA ANGELORUM AD ACTUS EXTERNOS.

§. I.

An Potentiam motricem habeant Angeli?

34. *Nota.* Potentia motrix dicitur vis illa, qua angelus se, vel alias substantias de loco ad locum transfert. Quidam ex Recentioribus Philosophis ausi sunt nuper definire angelum, quod sit *substantia tantum cogitans, quæ nihil cum motu commune habet*; nimirum ut ad denegandam angelis omnem in corpora potestatem commedius sese accingant. Verum hæc angeli descriptio quantum a sana Theologia abhorreat, hoc loco demonstrandum. Alii non quidem omnem movendi ac operandi vim denegant angelis, ita tamen debilem, humana plane inferiorem, nec superiori

naturæ sat congruentem attribuunt, ut vel cum *Tartarotio* dicant, quod fluida duntaxat movere angelus possit, non item solida: vel cum *Scipione Maffeo*, quod angelus ciere quidem possit præstigiis et sensuum illusiones, non autem efficere quidpiam insolitum et quod mereatur admirationem.

Porro angelum esse *in loco*, certum est, tum quia substantia existens non potest nullibi, sed debet alicubi existere; tum quia in Scriptura vel cælum, vel infernus, vel terra, locus angelorum assignatur; neque controversum est admodum, locum angeli esse finitum et limitatum, quamvis illius peripheriam describere nemo ausit. Denique ex philosophia constat, angelum non existere in loco *circumscriptive*, sed *definitive*; atque inde etiam desumi debet, per quid formaliter dicatur esse in loco.

35. *Dico I.* Angeli possunt se ipsos movere motu locali.

Prob. Ex Gen. 28. 12. Tob. 5. 8. Luc. 4. 28. Matth. 8. 32. etc. constat, angelos *accedere, recedere, ascendere, descendere, intrare, ambulare*: atqui hæc motum localem probant; ergo.

Conf. Potentiam motricem in angelo ipsum nomen loquitur, quod nuntium non sane immobilem significat: hoc figura, quamvis analogica, refert, quæ sub alarum schemate pernicitatem adumbrat: hoc officium declarat, quo tanquam administratorii spiritus perhibentur: hoc natura exigit in angelis perfectior, quam in homine et aliis entibus, vere tamen mobilibus.

36. *Dico II.* Angeli possunt movere corpora.

Prob. Nihil est quod hunc motum reddat angelo impossibilem; non ratio physica, cum possit angelus producere impetum; nec desunt vires; nec obstat Deus, cum extent innumera divinæ permissionis exempla, ut Dan. 14. 35. de Habacuc translato: Act. 8. 39. de Philippo a spiritu in Azotum delato: Joan. 5. 4. de aqua per angelum commota: Matth. 4. 5. de Christo assumpto in sanctam civitatem, et statuto super pinnaculum templi a diabolo: de Simone Mago in aere sublato ope dæmonis, prout testatur Hist. Eccl. etc. Unde negandum non est, nonnunquam evenire veram Sagarum translationem de loco ad locum, præsertim ad conventus nocturnos, ut communior est Theologorum et Jurisconsultorum, *Turrecremate* L. 2. Sortilegiorum q. 7. *Bassini* de Artibus Magicis prop. 9. *Remigii* L. 1. de Dæmonolatria, *Pennæ* in Directorio Inquisitionum p. 4. Attamen ultro fatemur, sæpe intervenire *illusionem dæmonis*, et Sagas sola duntaxat imaginatione translatas se putare, dum interim dormientibus vel vigilantibus ope dæmonis imagines gestorum representantur.

37. *Dico III.* Angeli possunt etiam movere spiritum.

Prob. Tob. 8. 3. Raphael legitur transtulisse dæmonium et ligasse: Luc. 16. 22. anima Lazari ab angelis deportata est in sinum Abrahamæ: quæ postrema narratio, quamvis dicatur tantum parabolica, tamen rei gestæ veritatem aperit. Quod ad modum explicandi attinet, variant Auctores. *Thomistæ* solo imperio fieri motum dicunt: Recentiores quidam tantum occasionaliter ab angelis, et a Deo efficienter: alii verius, vel applicando mobili substantiam suam, ut illud secum deferat, aut retineat in loco, ubi

ipse est : vel si impulsus producat in mobili proportionatum corpori vel spiritui.

38. *Obj. cont. I.* Etiam Deus dicitur *ascendere, descendere, ambulare etc.* sed metaphorice; ergo et angeli.

R. N. C. Nam Deus est immensus, angelus vero ens limitatum, cui proin ex natura sua convenit, sicut non esse ubique, ita de loco in locum transire. Motus autem angelorum an sit *continuus, discretus, instantaneus*, et an sine transmissio medio fieri possit, philosophice hic discutere, non vacat.

Inst. Vim motricem physicam et efficientem nullam, moralem tamen et occasionalem angelis competere, quatenus suis votis Deum ceu unicam causam effectricem ad motum producendum determinent, multis videtur verisimilius; ergo.

R. Idipsum hodie confutat valide quoad spiritum humanum sanior *Psychologia*. Si fas est ita torquere sensum Scripturæ, atque adeo violentum in modum litteram distrahere, actum est de *sensu litterali*, ludibrioque exponitur veritas et auctoritas Divinarum Scripturarum. Advertant hi, qui esse volunt *Sacræ Hermeneuticæ* callentissimi, dictatum olim a S. Av. canonem, qui proprietatem locutionis sacræ retinendam cavet, nisi opposita SS. Litterarum enuntiatio, aut Ecclesiæ auctoritas, aut ratio manifesta repugnent. Sane quod ab orthodoxis pro veritate *ignis corporei* in inferno asserenda contra heterodoxos usurpari consuevit momentum, idem hic locum obtinet: incredibile scilicet videri, quod canonici Scriptores omnes, quantumlibet ætate, tempore, loco, lingua, morum ac populorum consuetudine a se invicem distantes, unanimum tamen et perpetuam metaphoram contra usurpationem semper ac ubivis receptam de motu angelorum inxerint, quin de figurato hoc sermone lectorem ullibi admonerent.

39. *Obj. cont. II.* cum *Tartarotio*. Anima hominis omnem vim suam in fluida exercet, quia non nisi mediante liquore nervo ac spirituum vitalium impulsu agit, aut potest agere in corpus; ergo idem de angelo sentiendum.

R. 1°. Inest sua cuivis fluido gravitas, potens fluentibus urgensque pressio: ruentibus deorsum auctus accepit impetus, impulsuque externo vehementius acceleratur motus, quibus aut sustentandis, aut ferendis, aut excipiendis, aut inhibendis sæpius nulla aggerum moles, nullum robur corporum, nullus virium conatus par sit ac sufficiat; ergo ex eo quod liquida vel minimo cedant impulsui, vel obice remoto profluant sponte sua, non ideo, inquam, aut nullæ, aut tenues admodum vires angelis suppetunt ad corpora movenda.

R. 2°. N. C. Nam anima, cum in cerebro resideat ac proin hand præsens sit partibus omnibus, non aliter ac per impulsu spirituum suas operationes exercere potest. Dein anima est forma corporis, pars compositi, et operandi principium dependens, quamdiu materiæ immersa vivit; angeli autem, quo sunt ab inertili materia magis secreti, et natura superiores homine, eo majori activitate pollere dicendi sunt. Atque hæc effecerunt, ut sectatores *Tartarotii* non difficulter jam admittant, vigere in angelis movendorum etiam *solidorum* potentiam.

Inst. 1. Tota vis dæmonis adversus Jobum furentis fluidorum experimento definitur; ergo. Tota enim vis illa vel *ventorum turbine*, vel *flammarum procella*, vel *aquarum* in grandines compactarum tempestate exerta fuit; ergo.

R. N. A. Quia hæc facta solitudinem commoti fluidi non ostendunt; multo minus vires angelorum maximas infringunt aut minuunt, utpote quibus et grandia ædificia molesque vastissimæ repentina concussione eversæ succumbebant. Porro nihil frequentius, nihil exploratius est, quam spiritus tam bonos, quam malos in *assumptis corporibus* apparuisse; has vero apparentiæ machinas sive vera fuisse corpora, sive simulacra corporum statuat *Tartarotius*, videlicet ex materia subtili compacta; certum tamen et comperitum est eadem et ob quantitatis exigentiam impenetrabilia, et materiæ condensationem gravia, et ob firmitatem nexumque solida fuisse, adeo ut non solum actiones humanas rite imitarentur, sed et humana corpora, non quidem pro veritate vitæ, sed proprietate substantiæ a Patribus dici mererentur.

Inst. 2. Canone *Episcopi 12.* Caus. 26. q. 5. translatio corporum *delusionibus demonum* tribuitur; ergo angeli non *vere* movent aut transferunt corpora.

R. D. A. Nonnunquam tribuitur *delusionibus dæmonum C.* Semper ac universaliter N. Potius in cit. c. 12. damnantur varia falsa, qualia sunt, *Dianam* Deam paganorum, et *Herodiadem* in illis Sagarum conventibus adesse, ut proin errore paganorum involuti a *fide* deviant, et aliquid Numinis extra unum Deum arbitrentur.

Inst. 3. Per rapidissimum Sagarum motum impediretur, imo elideretur facultas respirandi; ergo illarum translatio plerumque *celerrima* non videtur possibilis.

R. N. A. Quia translatio Philippi in N. T. magnam, et Prophetæ in V. T. translatio plane stupendam *motus celeritatem* indicat, tum ob locorum distantiam, tum ob temporis brevitatem: salva tamen utriusque vita iter *acereum* percursum; ergo corpus etiam humanum absque iactura vitæ moveri *celerrime* potest ab angelis sive bonis, sive malis, quia juxta communem Theologorum quoad potentias naturales manserunt pares.

Inst. 4. Explicari non potest, *quomodo* dæmones vere transferant Sagarum per aera; ergo.

R. N. A. Nam 1. dæmones sunt spiritus perspicacissimi, de illorum scientia et dexteritate hac in re non est ambigendum: poterunt quippe condensare aerem, eique condensato, quam libuerit formam vehiculi inducere, et impositum hominem attollere, ac rapidissime provehere. 2. Equidem plures sunt hujusmodi itinerum et concursuum nocturnorum narrationes, quæ fidem non merentur, cum *frequens illusio* strigibus objiciatur; tamen ut omnia figmentis anilibus, et deceptionibus ac illusionibus tribuantur, non sinunt hominum istiusmodi diversa ætate, conditione et sexu, diversis item locis, annis et religionibus editæ confessiones concordēs, deponentibus licet noxiæ, constantes tamen, atque in equuleo et rogo perseverantes: non sinunt alienorum ab hac superstitione hominum fortuiti in congregationes maleficæ interventus aut illationes: laniarum vel in loco conventus relictarum, vel in cursu deciduarum, vel ob nuditatis verecundiam in dissita statione se continentium comprehensiones: tabularum insu-

per strata, supellexque pretiosa in sylvis et alibi inventa : cantus et tripudia a vicinis vel itinerantibus audita, aut vestigia collectæ multitudinis diversa, terræ impressa et conspecta : non sinunt *Pontificum* et *Conciliarum* non minus, quam *Imperatorum* aliorumque *Principum* Decreta, Tribunalium tam sacrorum, quam profanorum lata judicia, et pœnæ inflictæ : non denique *Theologorum* et *Jurisconsultorum* conspirans sententia; ergo facta hæc universim pro fabulis, aut testes laudati omnes pro male credulis haberi non possunt.

40. *Obj. II.* Christi adventus, et perfecta generis humani redemptio nihil virium et potestatis reliquit malignis spiritibus ad opera magica, sive præstigias, sive portenta præstanda; ergo. *Prob. A.* Isaïæ 44. 25. *Ego sum Dominus irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem convertens; Michaë 5. 11.* dicitur : *Auferam maleficia de manu tuâ, et divinationes non erunt in te;* ergo jam tum Prophetæ prænunderunt omnem diaboli potentiam sub Christi adventum tollendam esse.

R. N. C. Nam Isaïa teste, Deus irrita facit signa divinorum, sed eo modo, quo ibidem convertit sapientes retrorsum, et scientiam eorum facit stultitiam vers. cit. : sed eo tempore, quo habitabitur Jerusalem, quo ædificabuntur civitates Judæ, v. 27. : sed eo duce, de quo additur v. 28. : *Qui dico Cyro : pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis;* nihil ergo de adventu Christi hic. Michaëas etiam si, quod plures volunt, sermone converso ad Babylonem loquitur, pro materia præsentis nihil enuntiat; si vero de Messie ætate prophetat, vitiis omnibus, ac *idololatriæ* non minus quam *magiæ* exilium prædicat, superante scilicet Numinis gratia, non abolita dæmonis naturali potestate.

Inst. 1. Christus ipse dicit Joan. 12. 31. *Nunc, post opus redemptionis consummatum, princeps hujus mundi ejicietur foras;* ergo nihil jam potest amplius in homines.

R. D. A. Ejicietur foras ex arce et possessione sua, quam in hominum cordibus per peccata et infidelitatem maxime obtinuerat *C.* Ejicietur ex mundo, ita ut plane cesset grassari in mundo *N.* Id certe experimur omnes, quod adhuc non jam domini, sed hostis instar infensissimi fideles quotidie oppugnet.

Inst. 2. *S. Petrus* 1. c. 3. v. 22. addit, *Filium Dei subjectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus,* profectum esse in cælum : et 1. Cor. 13. 24. *S. Paulus* pronuntiat finem futurum, *cum Christus tradiderit regnum Deo et Patri, atque evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem,* id est, spiritus damnatos, uti patet ex contextu et aliis textibus; ergo adempta est diabolo omnis potestas.

R. N. C. Et 1º. quidem neque angelorum beatorum juxta et damnatorum subjectio : neque illa etiam formula ad Philip. 2. 10. : *In nomine Jesu omne genua flectatur* etc. probat excisas plane vires angelorum esse. 2º. Tam *exspoliatio*, quam *evacuatio principatum et potestatum*, adjunctusque a Paulo triumphus sonant equidem plus quidpiam, non tamen evincunt id, quod adversarii intendunt.

Inst. 3. Juxta Scripturam Christus per mortem suam *perfregit inferorum portas, vicit fortem armatum, captivam duxit captivalem,* et trium-

phum egit de inferno; ergo post redemptionem nostram diabolo nihil virium relictum est.

R. N. C. vel D. A. Perfregit inferorum portas etc. ita ut exin sedes diaboli sit convulsa, regnum ejus in hoc mundo, nempe *idololatria*, victum destructumque *C.* Ita ut virtus nocendi, potentia ac potestas omnis sit erepta ac dissipata *N.* Idque ex ipsis Apostoli verbis suadet, quia hæc *exspoliatio* et *evacuatio* diabolicæ potestatis, quam Paulus Corinthiis prædixerat, locum habebit tunc, quando finis erit seculi, quando Filius regnum tradiderit Patri et Deo, quando ita desinent maligni dæmonum conatus, sicut officia et beneficia angelorum cessabunt.

Inst. 4. *S. Joan.* Apoc. 20. 1. et 2. testatur : *Et vidi angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua, et apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanæ, et ligavit eum per annos mille. v. 7. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanæ de carcere suo, et exibit, et seducet gentes.* Sed illud spatium mille annorum plerique eruditi accipiunt pro tempore indefinito, et finem illorum *S.* Patres conjungunt cum Anti-Christi adventu, illis forsitan Apostoli verbis persuasi 2. Thess. 2. 9. : *Cujus adventus est secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus;* ergo.

R. 1º. Fateor, hunc textum esse obscurissimum, ita ut, sive *tempus* ligati solutique Satanæ spectes, sive ligandi solvendique *modum*, plerosque Interpretes in varia distraxerit : sed hæc ipsa probabiliū opinionum diversitas enervat vim oppositionis.

R. 2º. Parum item roboris perstabit sententiæ oppositæ ex cit. loc., ubi cum Catholicis non paucis et aliis pluribus dixero, Satanam ligatum sub Constantino M., quo imperante gentilium superstitio et tyrannis conceidit, fides Christi effloruit, crevitque Ecclesiæ ac Martyrum gloria : solutum autem rursus sub ortum Mahumetismi in Asia et Græcia prævalentis.

R. 3º. Si tandem cum communiore Catholicorum Epochæ initium a prædicatione Christi, finem ab Anti-Christo repetam, quid evincitur demum, ubi ligamen et vinculum Satanæ injectum exposuero in hunc sensum, ut non adempta diabolo vis, sed duntaxat imminuta : libertas nocendi non illimitata amplius et arbitraria, sed adstricta et a voluntate Dei suspensa : potestatis etiam dominatus ac in nolentes tyrannis ablata, permissa autem in volentes et incautos opportuna usurpatio intelligatur? Ita *D. Aug. L.* 20. de Civ. c. 8., *S. Leo Serm.* 49. de Pass. Dom. c. 5. et communior Patrum ac Interpretum, qui diabolum cani catenis innexo comparant, non tamen unguibus et dentibus exuto.

41. *Observe.* Ex ipsis hactenus objectis liquet congenia dæmonibus potestas a nobis asserta : num enim *ligari* et *auferri* potuit, quæ nulla fuit et impossibilis? Adhæc post mille annos solvetur rursus Satanæ, atque, ut prius, seducet gentes; ergo hæc vis ei indita et propria est. Dein actiones dæmonum, quas recitat *Maffæus, tentatio, obsessio* et *Magia* sunt, quæ singulorum duntaxat hominum nocumentum spectant : cum illa Apocalypica recensio universitatem hominum respiciat, molimina dæmonis illuc referri pronuntians, ut Ecclesiam vi et persecutionibus, mundum arte et illusionibus perdat.

Porro *Maffæi* divisio non est exacta, siquidem præter *Magiam* etiam addenda